



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt
Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De materia remota Confirmationis. 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

TRACTATUS XX.

ET

DISPUTATIO VNICA, DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

PUNCTVM I.

An Confirmatio sit Sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum.

1. Confirmatio est Sacramentum nouæ legis.
2. Est à Christo institutum.
3. Quo tempore institutum fuerit.
4. Vtus huius Sacramenti incepit post Christi ascensionem.

CONFIRMATIO sic dicta, quia baptizatos confirmat in fide recepta, est Sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum. Sicuti docuit Trident. *sess. 7. can. 1.* anathematate, damnans eum, qui dixerit confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum. Apostoli namque ut Spiritum sanctum baptizatis communicarent, tanquam signo, cui ex diuina promissione gratia Spiritus sancti annexa erat ut colligatur manifeste ex illo Actor. 8. vbi Petrus, & Ioannes imponentes manus baptizatis, Spiritum sanctum communicabant, quod cum vidisset Simon obtulit Apostolis pecuniam dicens: Date mihi hanc potestatem, ut cuiuscunque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum. Apostolorum tempore visibiliter Spiritus sanctus per impositionem manus communicabatur, quia ad fundandam Ecclesiam, & propagandam Christi fidem expediebat. Postmodum inuisibiliter communicatur, ut optime docuit August. *lib. 3. de baptismo contra Donatistas, cap. 16. & tract. 6. in primam canon. Ioann. & lib. 15. Trinit. cap. 26.* Ergo impositio manus per chrismatis in fronte vnctionem sacramentum est nouæ legis, cum sit signum sensibile, stabile, & perpetuum, cui gratia sancti Spiritus annexa est. Vide Suar. *disp. 32. sect. 1.* hanc veritatem fidei pluribus exornantem.

2. Quod vero hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum constat ex eo, quod nullus alius potest signa sensibilia causatiua gratiæ instituire præter eum qui potestatem habet gratiam conferendi, & docet Trident. *sess. 7. can. 1.* quatenus generaliter definit omnia sacramenta fuisse à Christo instituta. Instituit autem Christus hoc sacramentum antequam ad cælos ascenderet, quia est vnum ex præcipuis Ecclesiæ fundamentis, quam Christus Dominus ante Ascensionem suam plenè, & perfectè fundaram reliquit. Ergo reliquit hoc sacramentum perfectè institutum.

3. Sed quo tempore ante Ascensionem institutum fuerit incertum est. Probabilis videtur nocte cænæ designatam, & declaratam esse à Christo Domino materiam, & formam huius sacramenti, Apostolosque edoctos, esse, qualiter illud administrare deberent. Neque enim credendum est Christum Dominum noctæ cænæ promississe diuinum Spiritum Ecclesiæ daturum, ut in ea perpetuò maderet, quin simul declararet modum, quo ipse Spiritus communicandus erat. Sic tradit expressè Fabianus Papa, *Epist. 2. cap. 1.* In illa (inquit) die Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Christum consecrare docuit. Et forte ob hanc causam eo die cænæ, & non alio chrisma consecratur. Verùm quia Apostoli non sunt constituti Episcopi cum potestate dictum sacramentum ministrandi, quousque Christus Dominus post Resurrectionem suam dixit: Sicut mi-

hi me viuens pater, & ego mitto vos, Ioann. 20. ideo vsque ad illud tempus non est hoc sacramentum plenè, & perfectè institutum, quia ad plenam, & perfectam sacramenti institutionem non solum designatio materiæ, & formæ, sed etiam ministri requiruntur. Cum vero Matth. 19. paruulis Christus Dominus manus imponebat, ad summum hoc sacramentum adumbravit, sed non instituit, cum illius materiam & formam non designauerit. Solum enim imponebat paruulis manus, ut illos benediceret, & curaret, non in signum stabile, & perpetuum gratiæ sanctificantis. Atque ita docent Suar. *disp. 32. sect. 2. circa finem. Regid. de Coninch. qu. 72. art. 1. concil. 2. Paul. Laymann. lib. 5. sam. tract. 3. cap. 1. in fine. Bonac. disp. 3. de Sacram. q. 2. p. 2. circa finem.*

4. Quod si inquiras, quando incepit vsus huius sacramenti? Respondeo incepisse post Christi Ascensionem. Non enim expediebat diuinum Spiritum perfectè alicui communicari, sicuti per hoc Sacramentum communicatur, quin Iesus glorificatus esset, iuxta illud Ioann. 7. nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, Iesu autem glorificato Spiritus plenè Apostolis datus fuit non signo sacramentali sed extraordinario, & miraculoso. Quo Spiritu accepto Apostoli aliis diuinum Spiritum communicabant impositione manus. An vero cum impositione manus vnctione chrismatis vterentur, non satis constat, verosimilius est vtroque signo vfos fuisse. Aliàs diuersum esset sacramentum ab eo quo nunc est.

PUNCTVM II.

De materia remota Confirmationis

1. Materia remota est chrisma ex oleo, & balsamo confectum.
2. Plures doctores negant mixtionem ex balsamo esse necessariam necessitate sacramenti.
3. Probabilius est oppositum.
4. Fit satis rationibus contrariis.
5. Chrisma necessario debet esse benedictum.
6. Aliqui existimant posse à simplici Sacerdote ex commissione Pontificis benedici.
7. Necessario debet esse ab Episcopo benedictum.
8. Fit satis oppositis rationibus.
9. Modus consecrandi chrisma ex necessitate determinatus non est, bene tamen ex Ecclesiæ præscripto.
10. Quando chrisma consecrandum est, ubi, an veteris chrismatis vsus sufficiat ad sacramentum conficiendum.

1. **M**ateriam remotam sacramenti confirmationis esse chrisma definiuit concil. Florent. in decreto fidei & Trident. *sess. 7. can. 2.* Chrisma autem ex oleo, & balsamo mixtum esse debet saltem ex Ecclesiæ præcepto, sed an ex necessitate, & Christi institutione difficultate non caret.

2. Plures Doctores negant hanc mixtionem esse necessariam sacramento, sed sufficere oleum; sic docent Caieran. 33. *p. 9. 72. art. 2. Sorus in 4. dist. 7. q. vnic. art. 2. Nauarr. cap. 22. n. 8. & consil. unico. de sacra vnctione, num. 4. & 8. Valen. 1. 4. disp. 5. q. 1. p. 2. vers. quæstio est. Saà verbo confirmatio, num. 7. Barbosa, 2. p. de potest. Episc. alleg. 31. num. 3. & alij. Mouentur primò, quia oleum benedictum sæpè à Patribus chrisma appellari solet, ut constat ex Cypriano *epist. 70.* & Basil. *de Spiritu sancto epist. 27.* & Augustin. *lib. 5. de baptismo cap. 20.* & Innocent. I. *epist. 1. ad Decentium,**

Decentium, cap. 3. & Cyrillo Hierosolymit. catechesi. 3. mystagogica. At chrisma est necessaria materia confirmationis. Ergo cum oleum benedictum absque balsami mixtione chrisma sit, sufficit pro huius sacramenti materia. Secundo mouentur ex cap. *Pastoralis de Sacrament. non iterandis.* ubi Innocent. III. consultus, an ille qui solo oleo confirmatus fuit, debeat iterum confirmari, respondet in his sacramentis non esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum. Sentit ergo mixtionem balsami necessarium non esse ad sacramenti valorem, alias iterandum esset. Tertio non est credendum Christum Dominum instituisse pro Sacramenti materia rem, quae nec facile inueniri potest, nec inuenta cognosci. At balsamum verum, & proprium difficile inuenitur, & inuentum difficile cognoscitur, vt constat ex his, quae tradit Plinius, *lib. 12. cap. 25.* Ergo balsamum non est materia necessaria sacramenti. Quarto mixtio balsami ita fit in modica quantitate, vt plures partes olei immixtae maneat, quibus si vngitur confirmandus, balsamo non vngitur. At si balsamum necessaria materia esset huius sacramenti, oporteret omnes partes olei misceri, vt sic ex oleo, & balsamo vnctio conficeretur. Non igitur balsamus est materia huius sacramenti.

3. Nihilominus probabiliorum existimo sententiam affirmantem balsami mixtionem esse sacramento confirmationis materiam necessariam. Sic pluribus relictis docent Suar. *q. 72. disp. 33. sect. 1. concl. 1. 2. 3. & 4.* Aegid. de Coninch. *dub. 1. concl. 1. & 2.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 2. dub. 1.* Bonac. *disp. 3. de sacram. q. vnica. pun. 3. in princ.* Praecipuum huius sententiae fundamentum desumitur ex Conc. Florent. sub Eugenio IV. *decretò fidei, seu de Armenis.* Secundum (inquit) sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, & balsamo quod odorem significat bonae famae per Episcopum benedicto. Ergo aequè balsamum, ac oleum definit concilium esse confirmationis materiam. Neque obstat in eodem decreto dicere concilium vinum aqua mixtum esse materiam Eucharistiae, & actus poenitentis, sub quibus satisfactionem comprehendit esse materiam poenitentiae, cum tamen aqua mixtio, & poenitentis satisfactio non sint materia necessaria supradictorum sacramentorum; quia diuersimode de his, ac de mixtione balsami concilium loquitur. Neque enim dixit vinum aqua mixtum esse materiam, sed vinum esse materiam, cui aqua misceri debet, tacite innuens aqua mixtionem ad materiam non pertinere. Deinde non dixit omnes actus poenitentis esse materiam, sed actus poenitentis esse quasi materiam vt eo termino comprehenderet non solum actus poenitentis contritionem, & confessionem, qui proprie, & in rigore sunt materia poenitentiae, sed etiam satisfactionem, quae poenitentiam integrat, & complet, ideoque quasi materia illius appellari potest. Adde, esto concilium dixerit actus poenitentis esse materiam, subiutelligendum erat de actibus poenitentis praecedentibus sacramenti confectionem, non subsequentibus, qualis est satisfactio. At mixtum ex oleo, & balsamo praecedit confirmationem. Ergo aequè balsamum mixtum oleo est materia, ac est ipsum oleum. Deinde probati haec veritas potest ex vtu, & consuetudine Ecclesiae a tempore Apostolorum, teste Fabiano Pontifice, *epist. 2. ad Episcopos orient.* Nunquam enim hoc sacramentum confirmationis absque oleo mixto balsamo ministratum est. Signum igitur est illam esse materiam.

Cum verò asserimus oleum esse huius sacramenti materiam, oleum oliuatum intelligimus, quia ex alia materia confectum, vt ex nucibus, vel grandi pilce, vulgo *ballena* oleum proprie non est, ideoque nec materia huius sacramenti, sicuti tradit D. Thom. ab omnibus receptus *q. 72. art. 2. ad 3.* Balsamum autem, quod oleo misceri debet, non est solum balsamum Palaestinum, seu Syriacum; sed sufficit Indicum, quia verum balsamum est. Neque obest Paulum III. & Pium IV. concessisse Indis, vt balsamo illius regionis chrisma conficeretur, quia in hac concessione non privilegium concessit sed dubitationem sustulit declarando verum balsamum esse, ex quo chrisma confici potest, sicuti notarunt Suar. *disp. 33. sect. 1. vers. atque in hunc modum.* Aegid. de Coninch. *q. 72. art. 3. dub. 1. n. 41.*

4. Neque obstant rationes contrariae. Ad primam nego oleum benedictum absque balsami mixtione appellati communiter, & frequenter chrisma, contrarium enim aperte colligitur ex Dionys. *cap. 4. de Ecclesiast. Hierarchie. part. 2. circa finem.* & p. 3. circa finem. Cyprian. *Serm. de vnctione chrismat.* Fabiano Pontifice *epist. 2. ad Episcopos Orient.* & Innocent. III. *in cap. vnico de sacra vnctione.* D. Thom. *q. 72. art. 2. & 4. contra gentes c. 60.* Et licet aliquando oleum benedictum sub nomine chrismatum fuerit appellatum, id factum est, quia praecipua pars illius mixti est oleum, non quia balsami mixtione careat.

Ad secundam ex cap. *Pastoralis*, respondeo non esse in sacramento ordinis, & confirmationis iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum in-

telligi debere casu quo verum sacramentum confectum fuerit. Neque enim credibile est Pontificem voluisse negare sacramentum confirmationis absque balsami mixtione collatum iterandum non esse saltem sub conditione, cum manifestum sit ad minus sub opinione probabiliori inualidum fuisse. Neque item praesumi potest voluisse balsamo tantum vngi confirmatum, cum nulla huius vnctionis sit in Ecclesia consuetudo. Quia tamen Pontifex non solum de defectu balsami in confirmatione, sed de defectu impositionis manus in ordine Subdiaconatus fuit consultus, ea de causa vtrique interrogationi respondit: haec sacramenta iteranda non esse, subintellige, si verè collata sunt. An vero fuerint eo casu verè collata noluit definire.

Ad tertium nego balsamum difficile inueniri, & difficile cognosci, siquidem tempore nascitur Ecclesiae, & quando tyranni eam summo odio prosequuntur, inueniebatur, & cognoscebatur. Neque obstat Plinij testimonium, loquitur enim non de suo tempore, sed de tempore antiquo, vt bene comprobatur Suar. *dicta disp. 33. sect. 1. circa finem.*

Ad quartum concedo opus non esse, vt omnes partes olei balsamo mixtae sint, sufficit, si qualitates balsami, praecipue illius odorem receperint. Quia eo ipso totum chrisma ex oleo, & balsamo mixtum dicitur.

5. Grauior dubitatio est, an chrisma debeat necessario esse ab Episcopo benedictum, vt sit apta materia confirmationis? Conueniunt omnes doctores necessario debere prius benedici, vt ea benedictione, & consecratione disponatur ad huius sacramenti vsum. Quare si oleo mixto balsamo absque vlla benedictione confirmaretur, sacramentum confirmationis nequaquam conficeretur. Ratio huius veritatis est Christi institutio vtu, & consuetudine Ecclesiae declarata, & pluribus conciliis comprobata. Congruentia desumitur ex eo quod expediens sit rem communem, & vulgarem priusquam ad sanctificandos homines allumatur, fieri sacramentum, & religiosam, vt rectè D. Thom. *q. 72. art. 3.* Et licet in sacramento baptismi ea sanctificatio aequè requisita non sit ex necessitate, id factum est, quia est sacramentum summae necessitatis, & quia Christus Dominus baptismum Ioanis suscipiendo aquas omnes in ea figura sanctificauit; ob quam causam panis, & vinum in Eucharistia non est prius ex necessitate benedicens, praeterquam quod ipsa consecratione benedicitur, & consecratur.

6. Sed an haec benedictio chrismatum necessario facienda sit ab Episcopo, vel possit a simplici Sacerdote ex commissione summi Pontificis fieri. Difficultatem habet. Tum quia Pontifex simplici Sacerdoti committere potest (vt infra dicemus) administrationem sacramenti confirmationis. Ergo poterit committere Chrismatum consecrationem vtrique ad ipsam administrationem requisitam. Concesso namque vno conceduntur sequenda ad illud *leg. ad rem mobilem. ff. de Procuratorib. leg. si quando. Cod. de inofficio testam. cap. praeterea de officio delegati.* Tum etiam quia Concil. Tolet. *1. can. 2. referens aliquibus locis, & prouincis prebiteros chrisma consecrasset, nullatenus declarat inualidam esse illam consecrationem, sed solum statuit legem prohibentem, nec ex illo die vllus alius praeter Episcopum chrisma conficit. Indicat ergo concilium consecrationem valere, alius irritum esse declarare. Et ita sustinet Caietan. *3. p. q. 72. art. 2.* & probabile reputat Barbosa. *2. p. de potest. Episc. allegat. 31. n. 14.* Gregor. de Valen. *r. 4. disp. 5. q. 1. p. 2. col. vlt.* Suar. *disp. 33. sect. 2. opin. tertia.**

7. Nihilominus certum est materiam huius sacramenti necessario esse chrisma ab Episcopo benedictum: sic docent ferè omnes Doctores teste Suar. *disp. 33. sect. 2. vers. in hac re.* Aegid. de Coninch. *q. 72. art. 3. dub. 1. concl. 4.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 2. dub. 2.* Bonac. *disp. 3. q. vnica. pun. 3.* Sumiturque ex Concilio Rom. sub Syluestro *c. 5.* Tolet. *1. cap. 20.* Carthagin. *2. c. 3.* & Carthagin. *3. c. 36.* sed praecipue ex Florent. sub Eugenio IV. *in decreto fidei.* Vbi definitur materiam Confirmationis, inquit: Est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem conscientiae significat, & balsamo, quod odorem significat bonae famae per Episcopum benedictum. Ergo materia huius sacramenti Episcopali benedictione preparari necessario debet. Hinc (meo iudicio) euidenter inferitur non posse simplici Sacerdoti committi a Pontifice chrismatum benedictionem, quia Pontifex nequit materiam vllius sacramenti mutare. At huius sacramenti materia est chrisma Episcopali benedictione preparatum. Nequit Ergo Pontifex loco Episcopalis benedictionis Sacerdotalem subrogare. Deinde Episcopalis benedictio pro conficiendo chrismate ex institutione Christi habetur. Christus enim teste Fabiano *epist. 2. ad Episcopos Orient.* docuit Apostolos modum conficiendi chrisma, quem Ecclesia semper seruauit. At Ecclesia nunquam simplici Sacerdoti chrismatum consecrationem commisit, tamen aliquando commisit confirmationis administrationem, vt notauit Concilium Florent. *loco allegato.* Ergo chrismatum consecratio ex institutione Christi Episcopis annexa est. Non igitur potest Pontifex id mutare, aut variare. Congruentia huius institutionis fuit maior dignitas materiae sacramenti, in qua designanda

gnanda decens erat, ut omnes à Prælati Ecclesiæ, primitque Pastoribus dependere.

8. Rationes contrariæ num. præcedenti adductæ facile dissoluntur. Illa enim communis regula: Concesso vno conceduntur ea, quæ ad ipsum præquiruntur, locum habet in subordinatis eidem potestati. At confessio chrisimatis non subordinatur Pontifici, ut delegare eam possit simplici Sacerdoti, eo quod ex Christi institutione Episcopali ordini annexa sit. Neque est mirum, quod Christus Dominus reliquerit Pontifici potestatem communicandi Confirmationis ministracionem simplici Sacerdoti, non tamen reliquerit potestatem communicandi chrisimatis confessionem; quia confirmationis ministratio sæpè expostulat fieri à simplici Sacerdote ob absentiam Episcopi. At chrisimatis confessio raro, vel nunquam, cum vnus chrisimatis consecrator pluribus locis, imò diocesibus possit deferuire, & ex vno loco in alium facile chrisima transferri. Argumentum vero sumptum ex concilio. Voleat inefficax est. Non enim ex eo quod concilium omiserit declarare irritam esse chrisimatis consecrationem factam à Presbytero inferri potest validam esse, potius enim contrarium inferri debet ex eo quod factum prohibuerit lege perpetua declaranda id quod de se iure diuino erat prohibitum, potius quam denuò aliquid prohibente.

9. Modus consecrandi chrisima iure diuino signatus non est. Non enim credendum est omnem ritum, & ceremoniam, quam in consecratione chrisimatis obseruat in præsentia Ecclesiæ, semper fuisse obseruatum tanquam essentialem, & à Christo Domino institutum. Quapropter solum iure diuino chrisima benedicendum, & consecrandum est diuini Spiritus inuocatione. Quo autem modo, seu forma sit consecrandum Ecclesiæ remissum est. Ipsa verò Ecclesiæ poterat sic statueri modum consecrandi chrisima, ut omnem alium irritum, & sacrilegum redderet. At quia de hac intentione non constat, nec conueniens erat, ideo quælibet benedictio chrisimatis ab Episcopo facta sufficiens erit, ut materia disposita sit consecrationis sacramento, tamen si graue peccatum committatur omitendo ritum ab Ecclesiæ præscriptum. Sic Suar. *disp. 33. sect. 2. §. restat.* Egid. de Coninch. *q. 72. art. 3. dub. 1. n. 47.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 2. dub. 2. circa finem.* Bonac. plures referens, *disp. 3. de Sacram. quest. unica. pun. 3. vers. obserua secundo.*

10. Singulis annis in die Cæne Domini chrisima consecrandum est, & vetus seruandum, ut tradit Fabian. Papa, *epist. 2. & concil. Carthagin. 4. cap. 56. & habetur cap. litteræ de consecrat. disp. 3. & cap. omni tempore de consecrat. disp. 4. c. quoniam de sentent. excommunicat. in 6.* Quod si absens fuerit Episcopus, vel eo tempore sedes Episcopalis vacauerit, & proximus Episcopus adiri poterit, ut chrisima consecraret. Sic Glossa in *cap. si Episcopus, verbo spiritualibus de supplendis negligent. Prælati.* Vnde Episcopus ministrans confirmationem chrisimate veteri, seu præcedente anno benedicto grauius peccabit, ut colligitur ex supradictis decretis, & præcipue ex *cap. si quis de alio de consecrat. disp. 4.* Sacramentum tamen conficitur, quia Florent. Concilium exactè describens huius sacramenti materiam tantum expressit benedictionem Episcopi. Quod vero sit illa benedictio hoc, vel illo anno facta, quid extrinsecum est, & accidentarium non ex Christi institutione, sed ex Ecclesiæ præcepto. Sic Suar. *disp. 33. sect. 1. in fine.* Egid. de Coninch. *q. 72. art. 3. dub. 1. n. 49.* Bonac. *disp. 3. quest. unica. pun. 3. vers. obserua primo.* Barbosa. *2. p. de posses. Episc. allegat. 31. num. 17.* Emann. Saà alios referens verbo confirmatio. *num. 6. in edit. Romana.*

PUNCTUM III.

Quæ sit materia proxima Confirmationis.

1. Materia proxima est vnctio chrisimatis per Episcopum benedicti.
2. Facienda est vnctio in figura crucis ex necessitate sacramenti.
3. Item in fronte confirmandi.
4. Facienda est vnctio manu Pontificis immediatè, pollice ex necessitate præcepti.
5. Vnctio in ea quantitate faciendâ est, quæ sufficiat, ut verè confirmandus vnctus dicatur.

1. **C**onstat materiam proximam confirmationis esse vnctionem ex chrisimate per Episcopum benedictam, quia in his sacramentis, que in vñu consistunt, vnus materiæ remota est proxima illorum materia, quia est, que immediatè per formam significatur. Hæc autem vnctio debet esse in figuram crucis in fronte confirmandi facta manu Episcopi, sicut omnes doctores comprobant ex vñu, & traditione Ecclesiæ & ex variis conciliorum decretis, præcipue ex Florent. sub Eugen. IV. *decreto de Armenis.*

2. Primo faciendâ est vnctio in figuram crucis, neque satis

faciet Episcopus, si confirmandum signet cruce, & postmodum vnctus; sed necessario ipsa vnctio in figuram crucis faciendâ est, ut satis colligitur tum ex vñu, & consuetudine Ecclesiæ. Tum ex concilio Florent. in *supradicto decreto de Armenis.* Tum ex Innocent. I. & Gregor. I. relatis in *cap. presbyteris de consecrat. disp. 4.* & ex Stephano Papa relato in *cap. numquid de consecrat. disp. 5.* Neque deest congruentiam huius institutionis. Etenim hac sacramenti vnctione munimur ad crucem Christi palam confitentem. Deicit ergo eam vnctionem sub figura crucis fieri, & ita tradit expressè D. Thom. *q. 72. art. 4. ad 3.* Suar. alios referens, *disp. 33. sect. 3. post. prin.* Egid. de Coninch. *dub. 1. n. 60.* & *leg. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. 2. num. 4. concl. 2.* Bonac. *disp. 3. de Sacram. quest. unica. pun. 3. num. 5.*

3. Secundo necessariò fieri debet prædicta vnctio in fronte confirmandi, neque alibi facta tenet, colligitur manifestè ex vñu Ecclesiæ ab antiquis Patribus comprobato, præcipue Tertulliano, *lib. de prescription. cap. 40.* Dionysio de *Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. p. 2.* Cyrillo Hierosolymit. *catechesi 3. & 4. mystagogica.* Gregor. Turonen. *lib. 2. de gestis Francon. cap. 31.* August. *p. 141.* super illa verba: *In via hac, quæ ambulabim, sed præcipue id constat ex Innocent. III. in cap. unico de Sacra vnctione, & ex concil. Florent. decreto de Armenis, & declarante huius institutionis rationem. Ideo in fronte (inquit concilium) ubi verecundiæ sedes est, confirmandus mungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stulticia secundum Apostolum. Propter quod crucis signo signatur. Et licet antiqui patres expressè non dixerint hanc in fronte signationem esse essentialem, satis id indicatur absque vlla varietate conuenientes faciendam esse. Præterquam quod eodem modo requirunt vnctionem in fronte, ac in figura crucis, sed vnctionem in crucis figuram reputant essentialem. Ergo etiam in fronte reparare debent. Denique ex sine huius sacramenti, qui est ad confirmandum Christum absque vlla erubescencia, & timore, non leue argumentum desumitur ad probandum vnctionem in fronte necessariam esse huius sacramenti valori. Sicuti comprobatur D. Thom. *q. 72. art. 9.* Et ita tradunt pluribus relatis Suar. *q. 72. art. 4. disp. 33. sect. 3. in medio.* Egid. de Coninch. *art. 3. dub. 1. concl. 5. num. 53.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. c. 2. n. 4. circa finem.* Bonac. *disp. 3. de Sacram. quest. unica. p. 3. num. 5.**

4. Tertiò faciendâ est hæc vnctio Episcopi pollice dextræ manus chrisimate tincto, sicuti cauetur in Pontificali Romano, & ab Ecclesiâ est perpetuò obseruatum. Ob hanc enim causam præcipue consecratur pollex Pontificis, ut dixit Durand. *lib. 6. rationalis, c. 84.* An autem hoc sit necessarium non solum ex necessitate præcepti, de quo non est dubium, sed etiam ob sacramenti valorem, difficultatem habet; facta enim vnctione medio aliquo instrumento, vt potè penicillo, seu calamo forma huius sacramenti verificatur. Non igitur esse potest necessarium fieri manu Pontificis immediatè. Neque ex vñu, & consuetudine Ecclesiæ ea necessitas colligi potest. Aliàs fieri pollice manus dextræ necessarium esset. Nilominus dicendum est necessarium esse fieri vnctionem manu Pontificis immediatè, quia impositione manus hoc Sacramentum à primis Ecclesiæ exordis conficitur, ut constat ex Apostolorum vñu. Quod vero fiat pollice dextræ manus, ex ritu præscripto ab Ecclesiâ habetur, non ex Christi institutione, & Apostolorum vñu. Sic tradit Suar. *disp. 33. sect. 3. in fine.* Egid. de Coninch. *q. 72. art. 3. dub. 1. in fine.* Paul. Laym. *lib. 5. sum. tract. 3. c. 2. in fine.* Bonac. *disp. 3. de Sacram. quest. unica. p. 3. n. 4.*

5. Quod si roges in qua quantitate hæc vnctio faciendâ sit? Facile respondetur fieri debere ea quantitate, quæ sufficiat, ut digito Episcopi vnctur confirmari frons in figuram crucis, quia eo ipso forma huius sacramenti vera redditur. Suar. *disp. 33. sect. 3. vers. circa alteram partem.* Bonac. *disp. 3. de Sacram. quest. unica. p. 3. num. 5.*

PUNCTUM XV.

Utrum hoc Sacramentum sub chrisimatis vnctione semper in Ecclesiâ ministratum fuerit?

1. Proponitur dubitandi ratio,
2. Probabilis est Apostolos sola manus impositione Spiritum sanctum communicasse.
3. Probabilius est frequenter manus impositione chrisimatis vnctione communicasse.
4. In principiis tamen nascentis Ecclesiæ sola manus impositione videbantur ad communicandum diuinum Spiritum impositione visibilibusque donis comitatum.

1. **R**atio dubitandi est; quia Apostoli, Act. 8. & 19. baptizatis Spiritum sanctum conferebant manus impositione absque vlla chrisimatis mentione. Signum igitur est eo tempore sacramentum hoc ministratum fuisse absque chrisimate.